

295.

DISPUTATIO JURIDICA  
*De* CONFUSIONE  
OBLIGATIONUM,

2 V A M

Adjuvante Supremo Legislatore

Jussu atque AUTHORITATE

*Amplissimæ Facultatis Juridicæ*

ILLUSTRIS ACADEMIÆ  
PROCERUM GRAVISSIMORVM  
JUDICIO ET CENSURÆ

Pro

*Privilegiis & Summis in Utroque Jure HONORIBVS  
consequendis*

Ad diem VIII. Decembr. Anno MDCCCI. 10.

Ea qua pars est observantia submittit


DIDERICUS SCHOMBART  
Bremâ - Saxo.

---

*Marburgi Cattorum,*

Diss. jur. civ. shæred. Joh. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.

377,10





## S. Θ.

D E

# Confusione obligationum

Proœmium.

1. Serò jus gentium in Germaniam rediit & ini-  
quissima de illo iudicia.
2. Jus gentium rectè juri civili applicatur.
3. Id exemplis infertur. Propositio.
4. Remo vet objectionem.

## f. I.

**D**rofligata superio-  
ribus seculis studiorum  
barbarie cum cœteris ele-  
gantiorum literarum inc-  
rementis quoque jus  
gentium in Germaniam  
remi-

A 2

remigravit. Non enim poterat tam nobilis, tam illustris disciplina, quæ sola principum & regnum cōtroversias decideret, in tenebris diutius delitescere, cùm nulla major sit, quām ex infinita tum imperantium, tum armorum libidine vastitas. Vix tamen hæc divinior ars lucem spiritumque hausit, quin pro varietate ingeniorum & judicantium <sup>xaxon̄tēia</sup> variis quoque conflictata sit calamitatibus. Alii eam à jure civili quām longissimè remotam & peregrina esse principia, quibus jus civile non ornatius fieret, sed contaminaretur, existimarunt. Alii nihil nisi ex jure gentium attulerunt & cerebrinis conflictisque pro libidine principiis, plurimos Jurisconsultorum veterum jactando nævos, sanctiorem hanc prudentiam everterunt. Hi quanto novandi studio propiores, eo periculosiores: illi tutius quidem, sed vano superstitionis vicio laborantes: ab utrisque maximum rei literariæ detrimentum. Adeò facile intam brevi recti, pravique confinio præceps mortalium animus deflectit!

§. 2.

## §. 2.

**I**lli verò, quorum ratio melior & acutius  
ingenium fuit, iisdem principiis innixi,  
quibus Romani, divinarum humanarum-  
que rerum scientissimi prudentiam suam  
suffulserunt, multum adjumenti quoque  
ad hanc justitiae partem attulerunt. Neque  
enim ideò jus civile vitiosum est, quia non-  
nunquam juri naturæ quædam addit, quæ-  
dam detrahit, in nonnullis, quod tamen cau-  
tè facit, & ad summam reipublicæ necessi-  
tatem, planè recedit, Neque tamen & illi  
**c**lade in aut excidium juri civili minantur,  
qui principiis adhibitis iisdem multa solidè  
demonstrant, quæ fugiunt illos, qui tam am-  
bitiosè tristes sunt, ut si minimum, quod illi  
sомнiant, in hanc disciplinam sit in-  
vectum, frontem corrugent & *λυγοὶ λυγοὶ* pleno  
ore clamitent.

## §. 3.

**C**ur enim nostro seculo non liceat;  
Quod antiquis Jctis fuit impune? nisi  
fortè, si Diis placet! cum illis de accuratione  
sit contendendum. Id sane putidum esset

A 3

negat-

negare , juris civilis compaginem nusquam  
arctius cohærcere, quām cūm iuri Gentium  
pressius insistit. Testis est illa testamento-  
rum materia, quæ tota Juris est civilis; quām  
multis fictionibus se se torserint ingenia JC-  
torū, ut prope ubique hiulcans & collidens  
tractatio conspiraret. At materia de soluti-  
onibus aptè concinit, ut quasi uno rationum  
spiritu vegetari, perpetuo quenexu colliga-  
ri videatur. Quædam vero juris civilis ca-  
pita tam intimis juris gentium principiis e-  
ruta sunt, ut nec sine illis intelligi confiden-  
tius asseram. Cujus rei fidem facit hæc tra-  
ctatio, quam suscepit de confusione , primo  
aspectu ardua, prærupta, impervia: cognitis  
eius principiis facile & ambiguitatis vacu-  
um iter.

## §. 4.

**N**emo verò mihi vitio vertet, quòd post  
tot Roscios, quos in hac scena mirificè  
plausus exceptit, ego partes agere sustineam,  
qui tantum abest, ut cum illis me compa-  
rem, ut eorum potius adorare vestigia, si  
cum poëta loqui liceat , mihi honorificum  
existi-

existimem. Verùm enim verò, uti virorum eruditorum labores maximi facio , tamen ita authoritate illorum utor, ut iudicandi liberimū arbitrium non mihi auferam. Aliorum enim solùm iudicia sequi , hominis est servilis & à ratione humanæ conditionis alienissimi: Omnia verò sibi, nihil aliis tribuere, non est ab arrogantiæ vitio immune: medium verò viam ab utroque vitio vacuam eligere, semper mihi visum fuit perfectissimum.

## SECTIO I. SUMMARI A.

1. *Vocabulum confusionis est πολύσημον. Notatur H. Gretius.*
2. *Ejus significatio in l. 7. §. 1. Solut. matrim:*
3. *Notio ejus impropria, quæ hujus loci.*
4. *Quodnam sit verum juris gentium debitum.*
5. *Non solùm persona obligatur, sed ipsum patrimonium.*
6. *Tollitur solutione vel satisfactione.*
7. *Non confusione.*
8. *Impeditur tamen exactio.*
9. *Reviviscit exactio , si tertius intervenias.*
10. *Obj. l. 3. d. hisqua pro non scriptis.*

11. Di-

11. Distinguitur inter substantialia, quæ ad negotiorum constitutionem, & quæ ad durationem requiruntur.
12. Durat debitum principale in bonis.
13. Aliæ est naturæ cautionis, cuius substantiale securitas.
14. Debito confuso omnes cautiones corrumpunt exceptio pignore.
15. Ipsi quoque cautioni tale vitium supervenire potest.
16. Hinc nemo & reus stipulandi & fidejussor simul. Nec durat.
17. Nemo debitor & fidejussor simul est. Durat tamen cautione, modo securitas sit.
18. Caution semel sublata non reviviscit.

## §. I.

**V**aria est vocis confusionis in jure significatio. Propriè confundi dicuntur, quæ ita miscentur, ut una res alterius rei partes in se recipiat §. 27. I. d. R. D. l. 7. d. A. R. D. quod rerum liquidarū est, refertur etiam ad solidorum corporum conjunctionem. Sic Paulus inquit, ferruminatione fieri confusionem materiæ l. 23. §. 5. d. R. V. Ridet in eo Paulum Hugo Grotius d. I. B. & P. libr. 2. , 21. Quis concedat ferruminatione fieri confusionem totius materiæ, quod Paulus? At errat vir cœteroquin doctissimus.

mus. Non subtilissimus JCtus scribit fieri ferruminatione confusionem totius materiæ, sed saltem materiæ. Extremitates autē materiæ confundi ferruminatione, perspicuum est, quæ cùm salvâ utriusque rei substantiâ separari non possint, res minus principalis cedit alteri jure accessionis.

## §. 2.

**M**axima verò controversia fuit, quid Papinianus voce *confundi* velit intelligi  
l.7. §. 1. Solut. matrim. wißlenbachius aliquæ commixtionem numerorum, quam additionem vulgò vocant, notari contendunt, quo tamen non desinunt accuratissimum JCtum injusti calculi reuin peragere. Verùm vox *confundi* non accipi debet pro conjunctione, sed pro confusione, quâ perit quarta pars mercedis, veluti fidejussiones confunduntur. Quâ nitidissimâ interpretatione Papinianum ab injuriis defendit & accuratam ostendit proportionem illustris Dominus Coccejus præceptor meus omni pietate colendus, cuius merita in rem literariam posteritas non ignorabit, in disp. d. Proportionibus.

B

§. 3.

**I**mpropriam verò fortitur significatio-  
nem, quando ad res incorporales refertur,  
uti obligationes, quæ nostræ consideratio-  
nis. Quoties enim jus debiti & crediti in u-  
nam eandemque personam devenit, confu-  
sio fit *l. 95. §. 2. Et 3. d. solut.* Hoc autem con-  
tingit, cùm creditor ac debitor, reus ac fide-  
jussor alter alteri fit hæres *d.l. 95. l. 14. ff. d. fidej:*  
*l. 107. d. solut.* Statu obligationis ita mutato  
tolli debitum, liberari fidejussores dicuntur,  
perimi civilem actionem *dd. LL. alibi tamen*  
adhuc debitum esse, necdum satisfactum  
*l. 95. ad SCt. Trebell. l. 27. §. II. eod.* actionem fi-  
deicommissario dandam. Has collisiones,  
ut placarem, hanc operam suscepi, quò to-  
tam hanc materiam ex genuinis LL. prin-  
cipiis extricare. Notandum itaque.

## §. 4.

**I.** **V**erum juris gentium debitum esse,  
quando nobis aliquid abest. *l. 2. d. N.*  
*G. l. 18. Quod met. caus. quo casu debitor dici-*  
tur plus suo habere, quod æs alienum voca-  
tur *t. t. ff. ad L. falcid.* hoc igitur alteri resti-  
tu-

tuendum pr. Ide. I. & 7. Quod verò alteri præstandum, non nostrum est, sed alterius.

§. 5.

II. **H**oc debitum non consistit in obligatione personæ, sed in jure, quod nobis per alterius dispositionem quæsitum est in ejus bona. Hinc licet rei stipulandi vel promittendi persona fuerit subducta, tamen creditori adhuc aliquid abest, illiisque satisfieri debet, vel patrimonio debitoris adhuc æs alienum est immixtum. Jure Gentium enim per negotium, quod *ευρετικα* continet, non persona solum obligatur, sed jus nostrum commutatur. Hanc Juris Gentium hypothesin adhuc in plurimis retinuit jus civile. Hinc debitoris mei debitor est meus debitor, licet nulla sit obligatio in ihi devinctus l. 44. d. *Condict. indeb.* Hoc enim quod meum est & existit in patrimonio debitoris mei, hoc ex bonis debitoris mei existit in sui debitoris bonis. Hinc debitoris mei debitor mihi solvere, compensare, fidejuslorem constituere potest d. l. 44. l. 10. d. *duob. reis l. II. d. compens.* Hoc e-

B 2

nim

nim quod mihi abest, hoc quoque abest debitori meo, adeoque meum est & verum iuris gentium debitum.

§. 6.

III. **H**oc debitum tollitur solutione sc: quando id, quod nobis abest, in causam debiti nostri ad nos pervenit l. l. l. 16. d. solut: 2. Quovis modo, quo creditor est contentus & satisfactio dicitur, quæ est pro solutione l. 49. l 52. d. solut. Tunc enim desinit abesse, uti si reum promittendi stipulator acceptilatione liberavit

§. 7.

IV. **C**onfusionē quidem jura debiti & crediti in unam eandemque personam devolvuntur & utriusque patrimonii rationes ita miscentur, ut quid alterutri absit, non possit cognosci, quo tamen ius nostrum adhuc ei est immixtum, adeoq; nondum satisfactum, nec in causam debiti nostri pervenit §. *præced.* licet nobis ipsis facere debeamus per §. 5. Hinc adhuc verum iuris gentium debitum per §. 4. *junct.* l. 59. ad *S. C. T. Trebell.*

§. 8.

V. Quoniam verò patrimonium totum ad alterum devenit, ex quo satisficeri sibi debet, perimitur actio petitionis l. 75. d. solut. Nemo enim est à quo peti, nemo, qui petere possit, adeoque impossibile est, ut vel defūcti vel hæredis patrimonio satisficeri queat. Quamdiu ergo in persona hæredis remanet ius debiti & crediti, habetur ac si solutum esset & veluti solutionis potestate perimitur obligatio l. 50. d. fideius:

§. 9.

VI. Verùm hæc impossibilitas exendi durat saltem, quamdiu ius hoc utrumq; in una persona remanet: at si tertius interveniat, à quo debitum hoc peti possit, petitio reviviscit, quia adhuc verum iuris gentium debitum l. 59. ad SC. Trebell. l. 30. in f. ff. d. Except. reijud. l. 27. §. II. ad SCt. Trebell. vid. §. 7. præced.

§. 10.

Valdè verò nobis obstat l. 3. d. bisque pronon scriptishab: Tolli negotium, quando in cum statum pervenit, à quo incipere non potest. Ab initio verò nulla promissio ex vo-

B 3

lun.

( 13 )

Iuritate promittentis statū capit. l. 108. d. V.O.  
nec per naturam debitor & creditor si-  
mulesse potest. Hoc vel exemplo legato-  
rum patet , quæ quatenus ab hærede relin-  
quuntur, vel accrescunt conjunctis vel jure  
hæreditario censēnur l. 116. §. 1. d. Legat. I. l. 34.  
§. 12. eod. etsi seruo hærede instituto Domi-  
no legetur l. 20. ad L. falcid. Hinc nec in con-  
tributionem veniunt, sed imputantur in Fal-  
cidiam. Quia nemo sibi solvere , sibi lega-  
tum præstare potest; ergo videtur quoq; cor-  
ruere hoc debitum vel hæredis vel defuncti,  
quia semel in eum statum devenit, ut ejus  
exactio sit impossibilis.

§. 11

**A**D hoc dubium dissolvendum notan-  
dum, quod alia sint substantialia, quæ  
necessariò ad negotii constitutionem nece-  
ssaria sunt, uti facultas negotiū conficiendi,  
et de his valet regula L. 85. §. 1. d. R. I. non  
esse novum, ut quæ semel utiliter sunt con-  
stituta, licet ille casus extiterit , à quo inci-  
pere non potuerint, durent. Alia verò sunt  
substantialia, quæ ad negotii conservatio-  
nem

nem requiruntur. Itaque si negotium in eum casum inciderit, ut ejus natura omnino destruatur, corruit; de quo l. 3. ff. d. bis quæ pro non script. habentur.

## §. 12.

Jure gentium verò ad constitutionē debiti requiritur, ut diversus sit, qui debeat, diversus creditor; verùm adjuris nostri conservationem sufficit patrimonium esse, ex quo nobis satis fieri possit, adeoque debitum principale in ipsis bonis, conservatur. arg. l. II. d. fidej. At vehementer obstat, quod hæres succedat in omnia jura defuncti, eaque acquisierit, tam realia, quam personalia R. Hanc unitatem personæ defuncti & hæredis esse fictionem Juris civilis, adeoque ad jus gentium non pertinere. Placuit verò J Ctis hīc sequi potius rei veritatem, quam fictio- nes. l. 59. ff. ad SCt. Trebell.

## §. 13.

A lia verò ratio est in cautione personali, quæ saltem est appromissio debiti alieni l. 8. §. 7. d. fidej. adeoq; non subest verum ju- ris gentium debitum per §. 4. G. 5. præced.

Non

**N**on enim fidejussor aut correus plus suo habet, sed debitor principalis, cuius obligacioni accessit. Hic ergo nihil juris transfert in alterum ex patrimonio suo, sed saltem promittit in eandem causam. Substantia verò tam fidejussionis, quam cautionis correalis consistit in securitate debiti alieni.

## §. 14.

**Q**uoties itaque substantia cautionis sc. securitas evanescit, toties ipsum corruit negotium *arg. l. 3. d. bis quæ pro non script. habentur l. 5. l. 21. d. fideiuss.* Contradictorium est cautionem esse & nihil securitatis. Quoties ergo status debiti principalis ita mutatus est, ut cautionis nihil sit in appromissione, & nulla utilitas, toties evanescit *arg. l. 140. §. 2. d. V. O. arg. l. 3. d. separat.*

## §. 15.

**D**ebito itaque principali confuso omnes personales cautiones pereunt, non verò pignus *l. 59. ad SCt. Trebell.* cuius rationē ex his principiis SECT. III. indagabimus. Cùm enim jam debitor satisfacere hæreditati, creditor hæres sibi solvere debent, omnes cau-

cautiones personales in eum statum perver-  
nerunt, ut sint irritæ l. 7l. d. fidej. §. 14. præced.  
Non verò corruunt cautiones, quia debitum  
non est, sed quia debito principali confuso,  
conveniri, qui satisdederunt, amplius non  
posunt. Unusquisque enim sibi videtur esse  
solvendo.

## §. 16.

**N**on verò tollitur cautio solum, quando  
principale negotium ita mutatum, ut  
cautionum nulla sit utilitas, sed etiam quan-  
do ipsi cautioni talis causa supervenit. Hinc  
quoties cautio fideiussoria vel correalis in  
personam rei stipulandi devolvitur, nihil  
amplius est cautionis, sive naturalis tantum,  
sive civilis in reum est actio l. 21. d. fidej Hinc  
nemo & reus stipulandi & fideiussor, seu ne-  
mo apud eundem pro eodem potest inter-  
cedere.

## §. 17.

**N**emo quidem ab initio pro se fideiuben-  
do obligatur ex natura fideiussionis l. 21.  
d. fidej Diversus enim esse debet, qui  
fidem promittit id est securitatem, diversus

C is,

is, cuius causa est *arg. pr. l. d. fidej* sed hoc requiritur saltem ad constitutionem, non ad conservationem. §. II. ♂ 13. *præced.* Hinc si casus existat, ut cautio cum debito principali in persona debitoris concurrat, cautio non tollitur, modò plus sit securitatis in cautione, quam in debito principali *l. 21 d. fidei usf. s. 13. præced.*

## §. 18.

**S**UBLATA VERÒ SEMEL APPROMISSIO NON REVISCEIT §. II. ♂ 13. *præced:* CÙM ENIM SEMEL TALE VITIUM NEGOTIO SUPERVENERIT, UT IRRITUM SIT, NIHIL EST, QUODEAM REFUSCITARE POSSIT *arg. l. 3. ff. d. his quæ pro non scriptis. hab. l. 3. d. separat:* NON ENIM CASUS SOLÙM INCIDIT, QUO EJUS CONSTITUTIO IMPEDITUR, SED & EJUS CONSERVATIO. SECUS EST IN DEBITO PRINCIPALI, QUOD IN BONIS & IN RE CONSISTIT; JUS AUTEM HOC NON TOLLITUR, LICET OBLIGATIO IN EUM STATUM PERVERNERIT, UT PETI NON POSSIT. DIVERSA ENIM SUNT JURE GENTIUM IPSUM JUS PETENDI SEU OBLIGATIO PERSONÆ, & JUS IPSUM, QUOD NOBIS IN PATRIMONIO QUÆSITUM EST. OBLIGATIONE PERSONÆ SUBLATÀ NON TOLLITUR JUS IN BONIS. HÆC IDEÒ LATIUS DE-

deduxi, quoniam à plurimis neglecta esse animadverteram, sine quibus tamen hæ materiæ valdè hiulcant.

## SECTIO. II.

### *summaria,*

1. *Confusio fit per omnem modum successionis universalem.*  
*Frequentius per aditionem hæreditatis.*
2. *Quænam aditio valida*
3. *Non nudâ sui hæredis existentiâ.*
4. *Non jure peculij.*
5. *Quænam obligationes confundantur. Etiam naturales.*
6. *Confusio vim solutionis habet.*
7. *Petitio fideicommisso quoque perimitur.*
8. *Stipulatio duplæ.*
9. *Cedit vice solutionis. Casus l. 95. §. 1. d. solut. proponitur.*
10. *Explicatio Cujacii,*
11. *Dubia circa explicationem Cujacij.*
12. *Alia proponitur interpretatio*
13. *Dubium removetur.*
14. *Aditio hæreditatis confirmat inanem obligationem.*
15. *In cautione correali diversum est debitum & cautio*
16. *Debito confuso correi liberantur. Pro parte confuso,  
pro parte liberantur.*
17. *Sola cautione cum debito principali confusâ, perimitur  
cautio in persona correi,*

C 2

18. Si

18. Si inter se, non ex parte adversa succedunt correi, non confunditur cautio
19. Cautio fidejussoria evanescit, cum nulla amplius in ea securitas est.
20. Securitas evanescit, quando cautio in reum stipulandi inciderit.
21. Conciliatur l. II. Mandat.
22. Eximitur scrupulus Fabri in l. 21, §. 5. d. fidej.
23. Si fidejussor debitori successerit, cautio evanescit.
24. Modò cautio non sit plenior, quam principalis.
25. Fidejussoria non est plenior, quando fidejussor restituto minore quoque restituitur, secus, si solus minor.
26. Removentur dubia.
27. Due fidejussoriae in eadem persona stare possunt.
28. Quando fidejussoria plenior est principali, fidejussor amittit omnes exceptiones.

### S. 1.

**P**RIMÀ SECT. ostendimus principia, ex quibus hæc materia deduci posset, quæ vel sufficerent; nunc tamen ipsos modos & confusionis varios effectus tractabimus. Confusio fit per omnem modum succedendi univertalem, quo unitas personarum sc. hæredis & defuncti ipso jure inducitur

tur l. 95. §. 2. ♂ 3. d. Solut. uti i. per hæreditatem vel ab intestato, velex testamento. 2. Bonorum possessionem 3. Successionem arrogati vel ab intestato vel in quartam portionis debitæ ab intestato arg. l. 8. §. 8. d. Inoff. test. s. 3. I. d. adopt. 4. Per bonorum venditionem t. t. I. d. success: sublat. quæfieb. per bon. vend. 5. Ex SCto Claudio t. t. I. eod. 6. Per addictionem libertatis causâ t. t. I. d. eo, cui libertcaus: qui tres ultimi modi sunt abrogati l. un. C. d. SC. Claud. 7. Moribus per pacta licita de hæreditate, uti in pactis dotalibus & inter illustres simpliciter acquisitio universalis est inducta. 8. Singularis quoque casus est in l. 132. d. V. O. ubi aliquis jura filii & successionem nanciscitur ex stipulatione. Quocunque modo aliquis in patrimonium totum successerit & ita repræsentet defunctum, jura, quæ inter hæredem & defunctum fuerunt, confunduntur. Quia verò successio per hæreditatem frequentior, reliquos modos prætermittimus,

## § 2.

**S**upponit autem hæc successio validam additionem, quæ est, cum qui adit & velit & possit. Utrumque & facultas & voluntas requiritur. Error tamen in voluntate non obest, modò in ipsa opinione nihil sit vitium. *l. 13. §. 1. l. 19. d. A. v. O. H.* ut si aliquis adire velit hæreditatem ejus, quem existimat vivere, *L. L. nostræ ex tam illicita opinione nullum jusnasci concedunt.* Nec obstat, quod in aliis juris materiis valeat, etiamsi plus sit in opinione quam in rei substantia. Sic in usucapione, pro suo & pro hærede ignorantia rei alienæ non nocet *l. 3. pro suo l. pen. d. usucap. l. 2. pro emptor.* Verum hæc duæ sunt distinctæ quæstiones. An plus sit in opinione, quam in rei substantia 2. In quo negotio vitium opinionis LL. attendi velint. In omnibus autem usucaptionibus, exceptis pro suo & pro hærede error in rei substantia nocet, uti & in aditione hæreditatis. Si enim testamentum non est, vel est quidem, sed nullum aut irritum, aut si non proximus sim ab intestato, aditio nullius est modo.

momenti. Hinc si statuto vel moribus de certa tantum parte bonorum testari licitum, & de toto patrimonio testatus fuerit defunctus, non induc tam fuisse confusionem bonorum per aditionem testatur *Vincent d. Franchis decis. Neapolit. 486.* In quo tamen tum mores locorum, tum tenor statuti bene sunt considerandi.

## §. 3.

**S**ui hæredes quidem existunt ipso jure hæredes & continuant quasi bonorum paternorum dominium *l. II. d. Liber. C. posth. §. 2. f. d. H. Q. C. D. §. 3. I. d. Hæred. q. ab int.* hinc eos comœdi vocant *νεοτέρης δισπόταις*: tamen si beneficio abstentionis fuerint usi, nec acquirunt, nec obligantur. Malè verò hæc suorum nuda existentia, quam Græci *κατ' αὐθαδύνων* vocant, à DD dicitur actus primus, id est sine effectu, cùm tamen plurimi effectus, qui ab acquisitione & obligatione non dependent, nihilominus sint salvi. Sic tutela confirmatur *l. I. §. I. d. Confirm. tut. tabulæ pupillares, fideicomissa universalia consistunt l. II. §. I. ad SC. T. rebell.* quin suis existentibus

bus nihil pro hærede potest usucapi l. 2. C. pro  
hæred. uti id eleganter docuit celeberrimus  
D. Coccej, in lection. Lautherbachianis.

## §. 4.

**V**Idetur quoque jure peculii fieri confu-  
sio, quia si Dominus vel debitor vel cre-  
ditor peculii fuerit, hoc sibi debet, adeoque  
& jura debiti & crediti in una, eademque  
persona hærent. l. 7. §. 6. d. *pecul.* Verum  
hoc casu confusionem fieri, non conceden-  
dum arg. l. 9. §. 9. d. *pecul.* Quanvis enim pe-  
culium sit patrimonium à rationibus Domi-  
ni separatum, tamen Domini est, hinc tan-  
tum debere dicitur ad cum effectum, ut in-  
de peculiotenus obligetur. Hinc quod  
Dominus debet peculio, hoc in peculium  
est concessum. Si credit, hoc in peculio  
non est. Peculio igitur ademto suum rece-  
pisse videtur, & si plus solvit, hoc condi<sup>t</sup>i-  
one indebiti repetet l. 9. d. *pecul.* Inter ser-  
vum verò & Dominiū nulla est obligatio,  
necc civilis nec naturalis, quia nequidem pa-  
trimonium est, ex quo debeat. Hoc debe-  
re giitur saltem denotat concessionem in  
pecu-

peculium. 2. Per ademtionem peculii non confunduntur jura, si quæ esset inter servum & Dominum, sed per aditionem ipso jure confunduntur l. 95. §. 1. Et 2. d. solut.

## §. 5.

**V**Idimus modos, quibus obligationes confunduntur, nunc considerandum, quænam obligationes confundantur. Confunduntur autem principales, uti si debitor creditori vel creditor debitori hæres existat l. 50. d. fidej. vel correales l. 71. d. fidej. vel fidejusloriæ cum principalibus l. 95. §. 3. d. Solut. Naturales quoq; obligationes confunduntur, et si non perimantur arg. l. 38. d. Condict. indeb. Quamvis enim naturalis obligatio impropria sit obligatio & qui naturaliter obligantur per abusionem possint intelligi debitores l. 31. §. 1. Et 2. d. pet. hæred. l. 16. §. 1. d. fidej. tamen duo effectus naturalis obligationis per confusionem impediuntur 1. jus retinendi 2. debitum non repetendi. Quamdiu enim sibi debet hæres, nemo est, ratione cuius solutum dici potest, cùm nemo sit, qui solvat, nemo ratione

Debet hæres cujus

cujus debitum retineatur *arg. l. 38. d. condit. indeb.* At si tertius interveniat, hi duo quoque effectus reviviscunt. *arg. l. i. §. 17. ad L. Falcid.*

§. 6.

**T**Ollitur confusione omne debitum, uti SECT. I. discussimus, & quamdiu jura sunt confusa, omnes debiti effectus perimuntur. Obstat enim impossibilitas exigendi, quia nemo à se petere, secum compensare potest. Hinc dicitur veluti solutionis potestate tolli debitum, liberari debitorum *l. i. §. 18. ad L. falcid. l. 51. d. fidei. l. 7. C. d. pact. l. 3. C. d. fideic.* Aequè hactenus enim omnes debiti effectus sunt perēpti, ac si solutum esset. Hinc si creditor debitori successerit, petitionis actio tollitur, quia jam propter confusionē patrimoniorum, & personarum quæ fit ipso jure, satisfieri non potest *l. 57. d. fidei. l. 92. §. 1. d. solut.* Etsi verò nihil sit in hæreditate, ex quo ipsi satisfiat, suo facto amisit debitifui persecutionem, qui hæreditatem, quæ non solvendo est, adiuit. Quin propter personam hæredis videtur esse solvendo *l. 36. d. bonis libert.* Hinc maritus, qui dotem ab uxore stipulatus, eamque post mor-

mortem ejus aliis restituere promisit, si hæres uxoris existit, videtur dote in cum hæreditate pensante l. 33. *solut. matrim.* Idem est, si debitor creditori hæres extiterit, status obligationis ita mutatus est, ut satisfieri patrimonio defuncti non possit. Parum enim cominodè sibi solvet. Sed si tertius interveniat, debiti persecutio reviviscit l. 27. §. II. *ad SC. Trebell.* Hæc a confusio obligationum tantum pro ea parte fit, quâ repræsentat personam defuncti, pro ea vero parte, qua cohæredes habet, exequi debitum nemo impeditur l. 51. *d. fide.*

## §. 7.

**H**inc si aliquis ei hæres extiterit, à quo ipso relictum erat fideicommisum, petitio fidei commissi pro ea parte, quâ hæres est, perimitur L. 67. §. 2. *ad L. Faecid.* Idem est, si ab eo relictum esset fideicommisum, qui hæres extiterit defuncto. Nemo enim est, qui petere vel à quo peti possit. Hoc obtinet etiam in legato, vel à defuncto hæredi, vel ab hærede defuncto relicto & in omni debito hæreditario, quia ubique eadem ratio.

D 2

§. 8.

**E**x quo sequitur, si ei, cui vendidi & duplam promisi evictionis nomine, hæres extitero, evicto homine nullam stipulationem committi: neque enim ei, cui promisi, præstarem: quoniam parum commode dicam, ipse mihi duplam præstare debeo  
*I. 41. d. Evict.* Idem est, si hæres vendidit & duplam promisit. At si defunctus rem propriam hæredis alienavit, eam quidem vindicare non prohibetur, obstat tamen exceptio doli, quia contra defuncti factum venit *I. 73 d. Evict.* Præstitâ verò evictionem auferre non impeditur

**S**ingularem casum proponit Papinianus  
*S. l. 95. §. 1. d. Solut*: ubi inquit, aditionem hæreditatis vice solutionis cedere, qui textus cum multum lucis huic tractationi affundat, paulò consideratus est perpendēdus. Verba Papiniani hæc sunt: *Si forte creditor, qui pupillo nummos sine tutoris authoritate crediderat, ei hæres existit, non enim, quanto locupletior est pupillus, consequetur, sed in solidum creditum suum exba-*

*ex hæreditate retinet. Varia in hoc textu succrescunt dubia. Hic dicitur vice solutionis cedere, alibi non esse satisfactum l. 59. ad SC. Trebell. At quomodo potest esse alia obligatio in hærede, quam fuit in defuncto l. 41. d. Condic. indeb. iunct. l. 193. R. I. l. 54. d. A. v. O. H.*

## §. 10.

*C*ed audiamus accuratissimum juris interpretem Cujacium, ad l. 127. d. V. O. qui supponit 1. l'upillum non obligari sine tutoris authoritate naturaliter 2. Ante D. Pij rescriptum tantum naturaliter, in quantum locupletior factus, adeoque ita Papinianis sententiam exponit. *Aliquando aditio hæreditatis ipso jure confundit obligationem: aliquando non confundit, sed pro solutione est: ut si quis pecuniam credidit sine tutoris authoritate, ex qua pupillus locupletior factus, adeoque naturaliter est obligatus; ejus pupilli hæreditatem adeat. Aditio non confundit obligationem, quæ nulla est. Obligatio enim propriè est, quæ actionem parit, ut definitio obligations indicat, & debitor, cum quo agi potest, ut ex definitione debitoris etiam liquet. Creditor vero*

D ;

hic

*bic, quod locupletior factus, actione non consequeretur ante Rescriptum D. Pii. Cùm ergo ante illud rescriptum nulla sit obligatio civilis , nec confusio nulla obligationis per aditionem existere potest. Sed si solveret pupillus, petitio cessaret, cùm sit locupletior factus & hujusmodi solutionis aditio illa effetum habebit, & creditor ille in solidum velut legere malo, in solutum creditum suum, quantum pupillus locupletior factus , retinebit.*

## §. II.

**H**Æc quamvis à summo Juris interprete splendidè dicantur, tamen parùm rationibus juris congruunt. Nam 1. quod supponit pupillum non obligari naturaliter, nisi quantum locupletior factus , id quoad præjudicium pupilli concedendum, at quoad præjudicium eorum , qui extra pupilli personam sunt, omnino naturaliter, etiam si non sit locupletior factus, obligatur l. 25. §. 1. *Quando dies iugat. l. 21. ad L Fl. 127 d. V.O. l. 1. §. 1. d. Novat.* Quod duo hæc membra opponat aliquando confundit jure obligationē, aliquan-

liquando pro solutione cedit, omnino tolerandum non est. Confusio vice solutionis est, quamdiu in eadem persona jus debiti & crediti remanet, sed si tertius interveniat, non est satisfactum l. 50. d. fidej. iunct. l. 59. ad SC. Trebell. 3. Quod naturalem obligationem non confundi asserat, id contrarium est l. 38. d. Cond. indeb. ubi pro ea parte, quâ filius patri hæres existit debitum peculiare confunditur, quod naturale esse neimo negabit, vid. s. 5. præced. Duo igitur effectus non repetendi solutum, & retentio quoq; per confusione impeduntur. 3. Obligationem naturalem nullam esse obligationem, de eo ne  
quidem in LL. Quod nullum est, ejus nulli sunt effectus. At debitum naturale est in hæreditate, restituenda quoque est fideicommissario l. 1. §. 17. ad L. fatid. & computatur in hæreditatem l. 16. §. 1. d. fidej. t. t. d. Cond. indeb. 5. Ante Divi Pii rescriptum tantum pupillum naturaliter fuisse obligatum, si locupletior factus, id verum est, quoad ipsum contractum, & actionem ex eo contractu.

**tractu.** At ex re semper. Furiosus enim & intans quoque ex re obligantur l. 46. iunct. l. 59. d. O. & A. 6. Quod in *solutum* legit pro in solidum, idque sine ulla Codicis authoritate, nimis arguit audaciam criticam. Scilicet hoc in solidum offendebat. Nam expressè Papinianus *in Solidum* & *Locupletior* opponit. Quod cùm Cujacio suboleret, minus hoc suæ interpretationi convenire illud erasit & pro libidine aliud substituit. Verùm puris, piisque manibus Leges tractandas, neque quicquam temerè mutandum esse, neimo negabit. Quod tamen salvâ summi viri existimatio ne dictum volo, cui meritò quotquot sunt & erunt Juris Romani ruspatores assurgent propter summam, quam in LL. interpretan dis adhibuit industriam & judicium.

## §. 12.

**F**acilis verò explicatu mihi lex hæc vide tur. Pupillus obligatur tantùm, in quantū locupletior factus civiliter l. 3. §. 1. d. Autor & cons. tut. quoad præjudicium suum in cæteris

ris ne quidem naturaliter l. 41. d. Cond. indeb.  
l. 59. d. O. & A. Quoad reliquos extra pupilli  
præjudicium & naturaliter l. 25. quando dies  
leg. l. 21. ad L. falcid. Confusione quoque im-  
peditur naturalis obligatio arg. l. 38. d. Cond.  
indeb. Hinc quoties jus crediti & debiti in  
eandem personam devenit, videtur sibi in fo-  
lidum satisfacere. Cui accedit, ut si in tertii  
um restituenda sit hæreditas, habeat reten-  
tionem, deductionem, compensationem.  
Nonverò consequitur, quantum pupillus lo-  
cupletior factus, sed in solidum, quia natu-  
ralis obligatio, quæ in persona defuncti sine  
viribus erat, in persona hæredis efficax est.  
Hinc quatenus sibi solvere tenetur ex hære-  
ditate, solidum consequitur, & si tertius in-  
terveniat, habet retentionem. Non ergo  
vera solutio est, sed cedit vice solutionis,  
quod confirmata, quæ SECT. I. prolixè  
satis deduximus.

## §. 13.

**N**onverò assertioni huic obstat l. 139. d.  
*R* f. hæredem succedere in omnia jura  
defuncti, adeoque cùm tantùm naturalis  
E obli-

obligatio fuerit in defuncto, non aliam esse  
in hærede. Verùm facile hoc dubium dis-  
solvitur. Fuit in defuncto naturalis obli-  
gatio, sed imminuta, omnibusque viribus  
destituta, ut propè nec naturalis in eo videa-  
tur obligatio *l. 41. d. cond. indeb.* At subductâ  
eius personâ vera est naturalis obligatio. Sic  
pignora tenent, fidejussoriæ obligationes  
sustinentur *l. 21. ad L. F.* Cùm verò hæc im-  
minutio obligationis saltem in persona pu-  
pilli locum habeat, in cuius favorem hæc hy-  
pothesis juris civilis tantum obtinet, hoc hæ-  
redi ipsius nocere non debet. Si enim ve-  
rum jus gentium respicimus, ne quidem  
naturaliter obligatur pupillus, cùm nulla  
disponendi facultas ante pubertatem inci-  
piat.

## §. 14.

**E**Gregius supereft aditionis effectus in *l. 95.*  
**E***§. 1. d. solut.* Aliquando evenit, ut inanis  
obligatio per aditionem confirmetur. Ut  
si hæres, qui restituit ex SCto Trebelliano  
hæreditatem fideicomislarii adeat. Hæres  
enim qui ex SCto Trebelliano hæreditatem  
adi-

adibat omnes actiones pro rata, quæ ei & in eum competebant, transferebat in fideicommissarium §. 4. *f.d. fideic. hæred:* Hoc casu hæres fiduciarius juris subtilitate quidem hæres manebat, sed exceptione restitutæ hæreditatis cōtra debitores hæreditarios adjuvabatur *l. 7. §. 7. ad SC. Trebell.* sed si adiit fideicommissarii hæreditatem, hanc exceptionem amisit. Quia æquitate, quæ antea illum adiuvabat, destituitur, cùm non amplius alieno seu fideicomissarii, sed suo nomine periclitetur *c.l. 95. §. 2.d. Sol. ut.*

## §. 15.

**A**D cognoscendam cautionem correalem, eiusq; confusionem, notandum: I. Omnem cautionem requirere causam, cui accedit *l. 2. §. 3. d. Except. dol. mal.* Quamvis enim cautio ipsa subsistat sine causa, tamen perpetuâ doli mali exceptione infirmatur. Hoc debitum seu causa e. g. ex mutuo vel deposito vel unius correorum esse potest, & hoc omnes stipulantur in solidum, vel promittunt, *arg. l. 2. C. d. duobus reis,* Hinc etsi ratione sti-

E 2 pu-

808

pulationis omnes sint correi debendi æquè principales , tamen ratione causæ seu debiti, unus est debitor principalis. Unum ergo saltem debitum est , licet plures sint debitores ratione stipulationis.  
**II.** Si correi societatem ineant, jura correorum & stipulationis ex causa societatis communicantur *l. 62. pr. ad L. F. l. 71. ff. d. fidej.* Hoc casu ergo inter se regressum habent correi, non alias. Sed si unus correorum solverit vel compensaverit, is regressum habet contra debitorem principalem negotiorum gestorum vel actione mandati.

## §. 16.

**H**inc jam appareat debito principali confuso correos amplius conveniri non posse. Quia enim hi habent regressum contra debitorem, principalem ex g. ex mutuo, qui jam sibi ipsi satisfacere debetis, exceptione dolii mali repellitur. Non quia debitum non est, sed quia cautio in eum statum pervenit, ut correi amplius conveniri non possint *l. 71. d. fidej.* Sed si non fuerit debitum principale in ipsius persona, cui reus stipulandi succederit , tunc tantum persona

na eximitur, quia in ejus persona saltem impedimentum est, contra cœteros verò correos agere non prohibetur *d. l. 71.* Nisi fuerint socii, tunc enim pro parte quoque debitum confunditur *d. l. 71.* Quoniam enim correi societatis judicio regressum habent contra hæredem, pro ea parte quoque perimitur cautio correalis. Ex persona verò hujus correi quoque omnes accessiones liberantur. Statu enim obligationis principalis ita mutato, ut debitor amplius conveniri non possit, tollitur quoque cautio accessoria *d. l. 71.* vid. *Illustris Dn. Coccej. disput. d. caut. correali.*

## §. 17-

**H**inc si reus stipulandi correo debendi successerit, cautio perimitur, nisi & debitum principale fuerit in ipsius bonis *arg. l. 62. ad L. Fa'ci.* Tunc enim correos existimem liberari. Idem enim juris esse puto, quod in accessoria cautione. Non enim cautio est in bonis, ut conservari & reviviscere possit *l. 62. ad L. Fa'ci.* sed est æquè appromissio debiti alieni, uti fidejussio.

E 3

Hinc

Hinc diciture esse in pendenti, in cuius bonis  
computari debeat.

## §. 18.

**A**T si correi non ex adversa parte successerint, sed inter se, uti si correus debendi correò debendi, vel correus stipulandi correò stipulandi successerit, utraque actio in eadem persona subsistit, nec altera alteram perimit. Non enim ex debito principali nascitur actio, sed omnes ex stipulatutentur l. 6. & l. 7. ff. d. Novat: habetur enim pro uno eodemque negotio. Nec dici potest altera alteram tolli, cum æquè sint actiones principales l. 13. d. duabus reis. l. 5. d. fidej. Hinc non novum est unam eandemque personam duas species obligationum de eadem re sustinere, sed alterutrâ in judicium deductâ altera consumitur. l. 5. d. fidej. Idem enim duabus actionibus peti posse nulla contradictione, sed electa unâ altera consumitur. Idem enim bis exigi bona fides non patitur. De transposita negatione in l. 93. §. 1. & 2. d. solut. vid: Cuiac. l. 11. Obs. 34 & Dominum Coccejum, subtilissimum Jctum in disput. decant. correali.

## §. 19.

Hactenus vidimus principalem cùm  
principali confusam, & quid in utroq;  
juris; quoniā verò & reus stipulandi, & reus  
debendi fidejussori succedere possunt, hoc  
aliquantulum perpendendum. Omnis au-  
tem accessoriæ obligationis natura & sub-  
stantia consistit in cautione. Fidejubere  
nihil aliud est, quām alterum securum red-  
dere, seu fidem dare, quō creditoris satisfiat.  
Quoties itaque status obligationis ita mu-  
tatus est, ut omnis securitas pereat, in eo  
momento quoque cautio evanescit, uti id  
SECT. I. satis demonstravimus. Non i-  
taque perit cautio, quia debitum non am-  
plius est, sed quia cautionis & securitatis ni-  
hilest, sine qua ne momento quidem dura-  
re potest. Contradictorium enim est, cau-  
tionem esse & nihil esse securitatis. In fi-  
dejussione autem duplex est securitas, 1. Rati-  
onē personarum, quia plures idem promit-  
tunt. §. 1. f. d. fidej. 2. Rationē actionis, quia  
firmius potest obligari fidejuslor, & si non  
in causam duriorem. Fidejussionis natura &  
sub-

substantia est, ut diversus sit qui fidem pro-  
mittat, diversus, qui satis accipiat l. 21. d. fidej.  
Sed hoc requiritur saltem ad ejus constitu-  
tionem, non conservationem. Durat e-  
nim in eadem persona, & si securitas, quæ  
ex pluralitate personarum oritur, sit subla-  
ta. Itaque in momento, quo utraque secu-  
ritas cessat, perpetuo corruit cautio fidejus-  
foria. Hic ergo valet regula: corrue re ne-  
gotium, quoties in eum statum inciderit, à  
quo incipere non potuit.

## §. 20.

**H**inc si fidejussor reo stipulandi, vel reus  
stipulandi fidejussori successerit, om-  
nimodò perit fidejussio l. 21. §. 3. ♂ 4. d. fidej.  
sive sit principalis tantum naturalis, sive ci-  
vilis. Nemo enim se ipso securior est, id est,  
nemo apud eundem pro eodem potest in-  
tercedere. l. 43. d. so'ut. Non verò simul pe-  
rimitur principalis, quia hæ sunt duæ diver-  
fæ obligationes & vitium saltem est in fide-  
jussione, non in obligatione; principali, ad-  
deoque hæc saltem corruit, non principalis  
quia in ea nihil est impedimenti. Hinc si  
reus

reus stipulandi fidejussori successerit, vel viceversa non mandati, sed ex stipulatu, seu contractu principali agendum l. 21. §. 1. d. fidej. At videtur quoque dicendum, si principalis saltem fuerit naturalis & reus stipulandi fidejussori successerit, cautionem durare, quia plus securitatis est in cautione, quam in negotio principali. Sed & non est plus securitatis, quia ex stipulatu contra debitorem principalem non potest agi. Verum datur actio mandati. Sed elegantissimè huic dubio Africanus l. 21. §. d. fidej. succurrit non hanc dandam, quia reus manet obligatus. Accuratè sanè si quicquam est. Non datur actio mandati, nisi debitor liberatus sit solutione seu alio facto fidejussoris. Hoc enim debitor mandavit & ad id iterum restituendum tenetur.

## §. 21.

**V**Erum videtur obstarere l. II. *mandati*, ubi dicitur, si ei, cui ex causa fidejussionis fuero condemnatus haeres extitero, & actiō nem habebo mandati. Ex hac tenus dictis facilis responsio. Fidejussori nō datur actio mā-

F dati,

dati, nisi solutū sit creditori *l. 38. §. I. mand. l. 10.*  
*cod. l. 44. d. fidej.* aut etiamsi aliquid absit si-  
 dejussori ex facto fidejussionis, uti si con-  
 demnatus sit, tunc nihil restat, nisi executio;  
 adeoque datur regressus contra debitorem  
 principalem. Hinc si semel nata sit actio  
 mandati, illa quoque ad hæredem transit;  
 quod autem non est in persona defuncti,  
 hoc nec ad hæredem transire potest. Nec  
 hoc casu eadem contradictio in concursu a-  
 ctionis mandati & principalis actionis, quia  
 actio mandati non est ex fidejessione, sed ex  
 mandato.

## §. 22.

**R**estat adhuc scrupulus in *l. 21. §. 3. d. fidej.*  
 quem in transitu eximere non erit alie-  
 num. Duos casus Africanus proposuerat,  
 quibus fidejussionam obligationem perem-  
 tam esse, deciderat, cui dubia hæc verba sub-  
 jungit. *Argumentum rei, quòd si possessio rerum*  
*debitoris data sit creditori, àquè dicendum est fide-*  
*jusserem manere obligatum.* Hæc vocula *a-*  
*què si ad priora refertur, non congruit sen-*  
*sus, cùm in utroque dixerat fidejusserem*  
*liberari*

liberari , hīc autem manere obligatum.  
 Quod adeò torsit Ant : Fabrum subtilissi-  
 mum J̄Ctum i. Conj. 17. ut sineulla Codicis  
 authoritate manu audaculā particulam *non*  
 adjiceret. Verūm nusquam legitur nec ra-  
 tio juris congruit, fideiussorem liberari mis-  
 so in possessionem creditore. Fideiussor  
 tenetur , quamdiu non est satisfactum, at per  
 missionem in bona non satisfit, sed satisfa-  
 ciendi facultas conceditur. Nos igitur di-  
 cimus, nec totum casum, nec vocabulm *et*  
*quæ* ullo modo ad priora pertinere, sed no-  
 vam esse quæstionein. *Argumentum rei,*  
*id est quæstio à reo propofita :* num fide-  
 iussor liberetur misso in possessionem cre-  
 ditore ? Africanus medias attulerat ratio-  
 nes, quibus concluserat fideiussorem mane-  
 re obligatum. Hinc respondet, *et quæ*, id est,  
 uti à similibus erat argumentatus, non libe-  
 rari fideiussorem. Compilatores Juris sa-  
 tishabuerunt, si nobis decisiones J̄Ctorum  
 referrent, non attentis rationibus interme-  
 diis , ad quas verbum *et quæ* referendum.  
 Hoc sœpius in LL. fieri adverto, quo in-  
 innumerā ferè dubia dissolvuntur.

**S**i verò debitor fid eiussorem, vel fideiuf-  
sor debitorem, scripserit hæredem, fide-  
iussoria cautio perimitur *l. 93. §. ult. d. solut. l.*  
*14. d fidei.* ubi dicitur ex pressè perimi fideiuf-  
soriā & reum tanquam principalē conveni-  
endū; etiam si debitor fideiussori successerit.  
In eo autem Proculus à cœteris dissensit, qui  
putabat ultimo casu perimi principalem,  
quia principalis esset infirmior, quod seque-  
læ loco cederet accessoriæ. Verùm hoc  
casu non amittit naturam accessionis fide-  
iussoria, quia suâ naturâ sine principali non  
potest subsistere *2.* Falsum quoque est,  
quod principalis sequatur fideiussoriā,  
quia principalis etiam obligatio subsistit,  
etiam si omnes personæ sint subtractæ. Po-  
test enim subsistere & conservari in patri-  
monio, quod SECT. I. discussimus. Pla-  
cuit igitur quoque hæc sententia, tolli fide-  
iussoriā, licet in personam fideiussoris in-  
ciderit principalis.

## §. 24,

**S**ed hoc, quod asseruimus, fideiussoriā  
corruere, quotiescum principali concur-  
rerer

reret in eadem persona, totiesverum est,  
 quoties rei promittendi plenior est obligatio, l. 95.  
 §. 3. d. Solut. Tunc enim omnis securitas, quæ  
 est in fidejussione, perit, & pugna est, non  
 plus esse securitatis in accessoria, quam in  
 principali. Plenior autem principalis est  
 si principalis tantum sit naturalis d. l. 95. l. 21.  
 d. fidej. Quanquam enim principalis suâ na-  
 turâ sit potentior, quam fidejussoria, quia si-  
 ne principali non potest subsistere; tamen  
 fidejussoria cum principali in eadem perso-  
 na consistit, modo plus sit cautionis in fide-  
 jussoria, quam in principali d. l. 21. d. fidej.  
 Itaque si reus *duntaxat*, id est, *verè, efficaciter,*  
 fuerit obligatus, fidejussor liberabitur l. 95. §.  
 3. d. solut. vocula verò *Duntaxat* offendit  
 Cujacium, ut corrigeret hæc verba, Græcos  
 sequutus βασιλικῶν 26. t. 5. Εἰς γὰρ ὁ επαγγέλματος φύσις μάρτυς οὐ-  
 τείχετο, οὐκ αἴσθηται οὐ τιγγίνεται. Sed particula *duntaxat*  
 commodè ad priora referri potest, ut non sit  
 opus authoritatem Codicis Florentini ex  
 Græcorum laciniis corrigere. Uti id ele-  
 gantissimè *Vir omni laude maior Dn. H. Coc-*  
*cejus demonstravit in disput. d. cautione cor-*  
*reali.*

F ;

Non

**N**on verò potest dici non, tolli fideiuslo-  
riam obligationem, si debitor propri-  
am & personalem habuit defensionem l. 95.  
§. 3. d. Solut. uti si potuit minor restitui in in-  
tegrum. Quia difficile est dicere, causam  
juris honorarii, quæ potuit auxilio minori  
esse, retinere fideiussoris obligationem, quæ  
principalis fuit & cui is fideiussor accessit si-  
ne *contemplatione juris Prætorii* d. l. 95. §.  
7. Ex quibus verbis Papiniani certum est  
confundi & perimi etiam fideiussoram, si  
principalis per restitutionem in integrum  
potuerit infirmari, modò nec auxilium præ-  
toris fideiussoram obligationem retinere  
potuerit. Ratio dubitandi fuit; quia vide-  
tur esse principalis fideiussoria, cùm minor  
restitui possit in integrum, hinc nec fideiuss-  
oram perimi; sed R<sup>e</sup> J<sup>t</sup> C<sup>o</sup> tus, non esse principa-  
lem fideiussoram, quia nec causa juris ho-  
norarii eam potuit retinere, cùm fideiussor  
sine *contemplatione juris prætorii* interces-  
serit. Hinc quoties ratione ætatis fideiuss-  
or

for interessit, non ratione bonorū, fideiussoria non perimitur. Sed si ratione bonorum intercessit, id est, ne minor bonis labatur, minore restituto, quoque restituitur fideiussor l. 7. d. Except. l. 2. ff. d. fidej. min. l. i. C. cod. Hoc casu ergo principalis adhuc fortior est fideiussoriā, adeoque eam tollit. Non itaque opus est cum Bachovio substituere exceptiōnem dolia arg. l. 3. d. separat. cūm satis apparet, non perimi fideiussoriam obligatiōnem, quoties solus minor in integrum restitui queat. Quoties ergo prodest restitutio fideiussori, toties & confunditur fideiussoria, sed si restituto minore non restituitur fideiussor, ut si *contemplatione iuris Prætorii* intercessit, non confunditur fideiussoria. Quia iam fideiussoria est principalis & in cautione plūs securitatis, quām in principali l. 21. d. fideiuss. l. 95. §. 3. d. Solut.

## §. 26.

**A**T videtur aliquid dubii supereesse, nempe quod Jctus dicat, *tolli fideiussoriam obligationem*, quoties propriam & personalem

**nalem** habuit debitor defensionem *l. 95. §. 3.*  
**d. Solut.** quo contineri quoque videtur  
**casus**, si ratione bonorum fideiussor inter-  
 cessit. Verum & suâ naturâ quidem restitu-  
 tionem minorum esse propriam & perso-  
 nalem defensionem, per consequens tamen  
 prodesse fideiussoribus *2.* Ipse JCtus, quæ  
 generalius proposuerat, postea restringit  
 adeum fideiussorem, qui sine *contemplatione*  
*juris Prætorii*, intercesserat.

## §. 27.

**P**Erpetuam esse pugnam in eo vidimus,  
 cautionem esse & tamen nihil securitatis,  
 adeoque evanescere cautionem perso-  
 nalem. At hæc pugna cessat, quando duæ  
 cautionales in eandem personam deveni-  
 unt, uti si fideiussor succederit fideiussori,  
 tunc utraque salva est *l. 21. d. fideiuss.* Dua-  
 bus enim actionibus eiusdem potestatis e-  
 undem teneri nulla contradic̄tio *l. 51 d. fide-*  
*iuss.* Necnulla differentia cùm in una tantum  
 dem securitatis sit, ac in altera. Nihil enim re-  
 periri potest, quod alteram tollat, cùm sint e-  
 iusdem potestatis. Nec idem pro eodem  
 in-

intercedit, cùm utraque sit cautionalis & alieni debiti securitatem contineat l. 21. §. 2. d.  
*fidejuss.*

§. 28-

**H**oc autem adhuc notandum; quoties fideiustoria subsistit, nec perimitur in persona debitoris principalis, fidejussorem non teneri ut fideiustorem, sed ut reum principalem l. 95. §. 2. d. *solut.* Omnes exceptiones enim, quæ ex personarum diversitate oriebantur, pereunt, quia non amplius alieno, sed suo nomine periclitantur. Hinc mulier amittit exceptionem SCti Vellejani, quia non amplius debiti alieni periculum sustinet, sed proprium, in quo illi non succurrunt t.t. ad SC. *Vellej.* Sic beneficium ordinis, divisionis, cedendarum actionum exspirant; quia jam sunt debitores principales l. 95. §. 2. *d. Solut.*



G

SECTIO

## SECTIO III.

### SUMMARIA.

1. Ανακριταιωσιο.
2. Confusum debitum est verum debitum. Exigi potest, modo tertius interveniat
3. Tertius intervenit restitutâ hæreditate
4. Si defunctus fuerit debitor hæredis, hæres habet deductionem, retentionem, petitionem.
5. Si hæres debitor fuerit defuncti testatoris, restitutâ hæreditate fideicommissarius actionem habet.
6. Debitum, quod defuncto hæres debet, imputatur in Trebellianicam.
7. Quod hæredi defunctus, quoad dotorantem petere potest hæres fiduciarius ab herede fideicommissario, vel deducit id.
8. Casus l. 80. ad S. C. T. Trebell.
9. Id, quod ab herede defuncto debetur, imputatur in Falci-diam.
10. Quod à defuncto hæredi, ponitur in ære alieno.
11. Idem est fideicommissum ab herede defuncto vel vice versa relatum
12. Vendita hæreditatem trumque judicio emti continetur.
13. Casus l. 48. ad L. F.
14. Cautio correalis non est in bonis, sed in pendentibus, cuius bonis detrahi debeat.
15. Debitum confusum sustinet pignus.
16. Dubia remouentur.

§. I,

## §. 1.

**H**Actenus consideravi debitum civile peremptum & actionenī propter impedimentū personæ hæredis, qui sibi solvere, à se exigere non poterat, sublatam. Idem enim effectuerat hactenus, ac si solutū esset & perpetua veluti obstabat exceptio l. 59. ad SC. Trebell. SECT. II. modos explicui, quibus confusio induceretur, tum principalem cum principali, tum correalem cum correali, confusas. Cautiones verò personales in ipsa confusione æternū peremptas animadvertisimus, quoniam in eum statum devenerant, ut & substantialia conservationis & durationis deficerent. Ubi-que vinculum & nexus, quo veteres JCTi hanc materiam colligarunt, ostendi, veraque & genuina LL. principia me suffecisse, nullus dubito. Nunc alia rerum facies oritur & debitum principale, licet impedimentum fuerit, tamen adhuc plurimos effectus habere, animadvertemus: quin ipsam exactionem reviviscere, modò impedimen-

G 2 tum

tum, quod obstabat, remotum fuerit.

§. 2.

**I**Mpedimentum autem illud erat in persona hæredis, qui sibi solvere, sibi compensare non poterat. Hoc tollitur, quando tertii persona intervenit, in quem actio restitui & a quo debitum peti queat. Quamvis enim per aditionem hæreditatis fictione Juris civilis hæreditas fuerit facta patrimonium hæredis, tamen hæc saltem fictio juris civilis est, nec operatur ultra intentionem fингentis. Jure vero gentium debitum aditione confusum nec solutum, nec patrimonio defuncti vel hæredis erat satisfactum *l. 59. ad SC. Trebell.* Hinc quotiescasus existit, ut aliquis sit, a quo peti, vel qui petere possit, tunc exactio & petitio resuscitatur *arg. l. 80. ad SC. Trebell.*

§. 3.

**T**alis autem casus existit, quando in tertium restituitur hæreditas, ut si hæres rogatus restituere hæreditatem *l. 80. ad SC. Trebell.* Hac restitutione quidem hæres non desinebat juris subtilitate hæres esse, tamen omnes

omnes actiones, quæ dabantur hæredi & in  
hæredem, transferebantur in fideicommis-  
sarium. Primùm autem erat duplex SC-  
tum, Pegasianum & Trebellianum. Ex Pe-  
gasiano SCto restituebat hæreditatem , cui  
minus quarta parte in testamento erat reli-  
ctum. Hæres ergo fiduciarius poterat quar-  
tam Pegalianam deducere , sed eâ deductâ  
sustinebat omnia onera hæreditaria. Ex SC-  
to verò Trebelliano restituebat, si hæres fi-  
duciarius non erat rogatus restituere plûs,  
quâm dodrantē & tunc in utrumque tam fi-  
duciariūm, quam fideicommislarium pro-  
rata transibant actiones §. 5. §. 6. I. d. fideic.  
hæred. Sed Imperator Justinianus Pegali-  
anam quartam in Trebellianum transfudit:  
1. Ut hæres etiam si rogatus esset totam hæ-  
reditatem restituere tamen quartam dedu-  
cere posset: 2. ut nihilominus actiones pro-  
rata transirent d. §. §. Sed si hæres directus  
recuset adire ex SCto, cogi potest & ita quar-  
tæ deductionem amittit, nullo nec lucro nec  
damno apud hæredem manente §. 7. I. d.  
fideic. hæred.

§. 4.

**H**inc si hæres fuerit creditor defuncti & **H**ex SCto Trebelliano restituit, aut coactus, aut nullâ deductâ quarta, quò sollicitus fidem precibus defuncti servet, habet deductionem, retentionem, petitionem l. 59. 180. *ad SC. Trebell.* nec tenetur antè restituere, quām ipsi sit cautum d. l. 59. Idei est si fidei commissum aut legatum hæredi à defuncto fuerit relictum. *vid. Anton. Fabrum in C. t. ad SC. Trebell def. 13.* Idem est, si hæres aliquid impedit in hæreditatem, quamvis in rem propriam videtur impendisse, tamen adhuc ipsi aliquid abest ex negotio alieno l. 95. §. 2. d. *solut.*

## §. 5.

**A**T si fuerit hæres debtor defuncti & restituit hæreditatem, actionem & petitionem fideicommissario dandam esse l. 27. §. II. *ad SC. Trebell.* dicitur. Jam enim vitium, quod in persona hæredis erat, in persona hæredis fideicommissarii sublatum. Idem quoque est, si fideicommissum ab hærede defuncto fuit relictum, cuius dies vivo testa-

testatore cessit, hujus quoque petitio revi-  
viscit arg. l. 87. §. 2. ad L. Falcid.

## §. 6.

**V**erum hoc quod diximus obtinet, si co-  
actus, vel non deductâ quartâ restituit  
hæreditatem. Sive rò beneficio SCti Tre-  
belliani velit uti, tunc id quod debet hæres  
defuncto in Trebellianicam ei potest im-  
putari, vel si eam habeat, dodrantem pecu-  
niæ hæres fideicommissarius petere potest,  
arg. l. 1. §. 18. ad L. F. arg. l. 58. ad SC. Trebell.  
l. 3. §. 3. eod. Idem est, si debitori hæreditati-  
rio successerit, antequam restitueret hæres  
fiduciarius, actio quidem eò confusa resuscita-  
tari non potest per Trebellianum, quoni-  
am tamen eo locupletiorem hæreditatem  
percepisse videtur, ejus quoque debiti do-  
drantem ex causa fideicommissi petere pot-  
est hæres fideicommissarius l. 58. ad SC. Tre-  
bell. Non quidem, inquit, actio eò confusa  
resuscitatur, quia duplex ferè confusio est,  
patrimonium defuncti quoad quartam con-  
fusum est cum patrimonio hæredis, & debi-  
toris confusum quoque est cum hæredis ad-  
eo-

eoque impossibile est resuscitari actionem,  
attamen in causam fideicommissi devolve-  
tur & extraordinariâ persecutione dodran-  
tis executio dabitur.

## §. 7.

**S**ed quando hæres creditor fuit defuncti,  
stunc debiti sui dodrantem exigit ab hæ-  
rede fideicommissario *arg. l. 80. ad SC. Trebell.*  
Ratione verò quartæ, cuius onus ipse præ-  
stat, non resuscitatur petitio. Et hic idem  
obtinet quod inter cohæredes, ut pro ea  
parte, quâ ipse oneribus hæreditariis obli-  
getur fiduciarius hæres, actio maneat con-  
fusa, quo ad reliquum verò petitio salva fit,  
*arg. §. 7. ad SC. Trebell.*

## §. 8.

**S**ingularis quoque casus est in *l. 80. ad SC.*  
*Trebell.* quo non datur petitio ejus, quod  
debuit defunctus hæredi. Sicui relicta est  
hæreditas cum fideicommissio, ut quicquid  
post mortem ex familia testatoris superes-  
set, restitueret; quæritur, si quid debuit de-  
functushæredi, an illud hæredes hæredis, à  
quo fideicommissum erat relatum, repetere  
pos-

possint. Secundum regulas supra traditas dicendum esset, quod hoc casu quoque petitio reviviscat, quia tertius intervenit ; hoc est, quod JCtus sibi objicit : *et si enim aditione hæreditatis confusum erat debitum, tamen petitio erat fideicommissi.* Sed hunc scrupulum eximit JCtus: æquitas enim, quæ restituendum fideicommissarium adjuvabat, defecit his, qui multum ex hæreditate consumserunt. Æquitas in eo erat, quia adhuc aliquid aberat patrimonio hæredis, nec illi satisfactum. Verum qui potest illis adhuc aliquid abesse, qui multum ex hæreditate consumserunt ?

## §. 9.

**G**eneraliter vero notandum, quod debitum hoc confusum augeat & minuat hæreditatem & si non interveniat tertius, a quo peti possit. Hinc si debitor creditori successerit, quamvis aditione liberetur, tamen locupletiorem hæreditatem percipere videtur, ut computetur ei, quod debet, quamvis aditione sit confusum, l.i. §. 18. ad

H

L.F.

L.F. Quoniam enim in falcidiam imputatur, quod est hæreditatis, hoc autem nomen quoq; est in hæreditate, hinc hoc quoque in falcidiam imputandum: adeoque si vir uxori hæres extiterit, dotis petitio quidem sublata est, non videtur tamen totum quasi hæres impendere, sed deducto eo, quod quasi dotis nomine, quam lucrifacit, conferre debuit, l. 6. ad L.F. modò testator non prohibuerit, ut in Falcidiam imputaretur, tunc enim exceptione doli inaliatus est, l. 12. l. 15. ad L. Falcid. Generaliter vero notandum, intelligi hic verum juris gentium debitum, ut ejus nomine cum defuncto aetio esse potuisset. Nam si merè civile, replicatione in factum elidi potest l. 15. pr. ad L. Falcid. Hinc ex donationibus, quod hæres conjugis superstiti conjugi reddere teneatur, id in bonis non est, quoties ita conjux facta est locupletior, ut tanto pauperior superstes conjux videatur l. 15. §. 5. ad L.F. Vid. Ant. Fabr. Cod. lib. 6. t. 28. d. 1. Sed si creditor filii peculiaris patrem hæredem instituit, non totum creditum in falcidiam ei imputa-

putabitur, sed quantum aditæ hæreditatis tempore fuit in peculio in quadrantem imputatur l. 83. *ad L. F.* Eatenus enim tantum efficacius potuit conveniri sc. peculio tenus, hoc ergo saltem locupletiore est, quia illud ex peculio non tenetur præstare. In eo vero dissensit Marcellus à Juliano l. 56. *ad L. F.* sc. non quantitatem peculii aditæ hæreditatis tempore, sed mortis, inspiciendam, cui imperator assentire videtur qui generaliter decidit §. 2. *ad L. F.* quantitatem patrimonii inspici debere tempore mortis. *vid. tamen l. 30. §. 1. ad. L.F.*

*ad L. F. 30. §. 1. ad. L.F.*

**S**ed si creditor debitori successerit, licet debitor liberetur, cum nemo sit, qui debit, tamen eominus videtur percepsisse, hinc hoc deducit hæres, antequam ratio legis Falcidiæ initur l. 15. §. 3. l. 48 ff. l. 6. C. *ad L. F.* Hinc quod avo nepos debuit, si nepose i hæres existit solus, id deducendum, quod avus ex causa tutelæ debuit nepoti l. 15. §. 3. *ad I. F.* Neque vero ideo testator hæreditatem voluit compensatam cum debito tutela, quia onera raverat

H 2 nepotem

*nepotem, ut post mortem tam sua, quam hæreditaria bona restitueret.* Hoc casu dubitari poterat, an hoc debitum quoque deduci deberet, quia videtur hoc voluisse compensatum testator eo, quod tam sua quam hæreditaria bona restituere rogaverat. Sed eleganter respondet JCtus, *eo vel certum esse, non hanc fuisse mentem testatoris, quia propria bona nepotem iussit restituere, adeoque debitum tutelæ agnovit c. l. 15.*

## §. II.

**Q**uod si fideicommissum à defuncto, cuius dies vivo testatore cesserat, relictum hæredi, hoc quoque in ære alieno ponitur; quia si quilibet alius hæres fuisset, hæc ponentur in ære alieno *l. 67. §. 2. ad L.F.* Sed si fuit fideicommissum vivo testatore ab hærede defuncto relictum, hoc quoque in Falcidiam imputandum. Hoc enim fideicommissum debetur hæreditati, & est ex hæreditate, hinc quoque in Falcidiam imputatur. Sed quod defunctus legavit hæredi à cohærede, id non imputatur in Falcidiam, sed venit in contributionem: sic nec prælegata

H

legata à cohærede veniunt in Trebellianicā:  
l. 91. ad L. F. Sed quatenus à se ipso legatum  
est, hoc quoq; imputatur in utramque, quia  
jure hæreditario , non legati capitur. l. 20.  
ad L. F. l. 116. §. 1. d. Legat. I. l. 34. §. 12. eod.

§. 12.

**E**xplicito igitur, quando petitio revivi-  
scat ex SCto Trebelliano; dein quod vel  
debitum confusum in falcidiam imputetur,  
vel in ære alieno ponatur; alius effectus se-  
quitur, sc. quādo hæreditas venditur, tunc ju-  
dicio emti utrumq; cōtinetur *l. 20. d. H. v. A. V.*  
Per venditionem autem hæreditatis qui-  
dein actiones non transferuntur, quoniam  
tamen debitum vel hæredis vel defuncti mi-  
nuit vel auget hæreditatem, hoc quoque in  
judicium hoc venit. **H**inc si debitor fue-  
rit hæres defuncti & eam vendiderit, quia  
hæreditas eo majoris venit, ut hæres hoc de-  
bitum præstaret, hoc actione emti conse-  
quetur emtor *l. 20. §. I. d. H. v. A. V.* **I**dē est si de-  
bitor creditorem scripsit hæredē, liberatur  
quidem confusione debitor, quia tamen eo  
minoris venit hæreditas, tenetur emtor hoc

H<sub>3</sub> debi-

debitum præstare l. 2. §. 18. d. H. V. modò tale  
 sit debitum, ut & contra defunctum vel hæ-  
 redem actio esse potuisse. Idem est, si hæ-  
 res vendita hæreditate, antequam legatum  
 ab emtore præstaretur, legatario successerit,  
 debitum legati quidem confusum est, quo-  
 niam tamē eo minoris venit hæreditas, ut  
 legatum quoque præstaret emtor, hæres  
 emti venditi judicio hoc confusum legati  
 debitum exiget l. 24. d. H. V. Cūm ve-  
 rò stipulationes emtæ venditæ hære-  
 ditatis interpositæ sunt, quæ olim inter-  
 ponebantur, nunc verò in desuetudinem  
 abierunt, actione ex stipulatu hoc invicē à se  
 petent l. 21. d. H. V. Omne igitur, quod  
 decedit hæreditati propter creditū hæredis  
 & accedit propter defuncti creditum, hic  
 computandū. Idem quoq; puto, si pater feu-  
 dum vel rem fideicommisso familiæ relictā,  
 quæ tamē simpliciter alienari non est prohi-  
 bita, aliena verit filius revocaverit & æstima-  
 tionem præstiterit, hanc quoque æstimatio-  
 nem esse debitum hæreditatis & de eo idem  
 dicendum, quod de cœtero debito defuncti  
 - id est - H. diximus.

diximus. Hinc quoque ponendum est in  
ære alieno ratione falcidiæ , ab emtore hæ-  
reditatis judicio einti præstandum &c, quæ  
facilè huc applicari possunt.

§. 13.

**Q**uoniam verò solum jus naturæ in con-  
servatione hujus debiti confusi vidi-  
dimus attendi , & ideo sustineri ,  
quia adhuc jure gentium aliquid abest, mul-  
tum lucis quoque fœneratur *l. 48. ff. ad L.*  
**Falcid:** Si homo venditus & evictus, emtorq;  
succedat venditori, et si stipulatio duplæ in-  
tercesserit, tamen tantum simplum, non du-  
plum deduci placuit. Ut enim ideo dedu-  
ctio permittitur , quia adhuc aliquid abest,  
simplum autem saltem nobis abest, non du-  
plum, hinc quoque debiti naturalis tantum  
computatio locum habet. In quo sanè quam  
accurati fuerint J.Cri, nemini dubium esse  
potest. Nam uti SECT. II. vidimus, ne  
quidem stipulationem committi , quia ob-  
ligatio ciuii intercidit: debitum autem na-  
turale sc. quod nobis abest subesse, quod non  
consistit in personis, sed in iure , quod nobis  
in alterius patrimonium competit *l. 41. §. 1.*  
**Evid.**

Si

**S**i verò correus debitor successerit creditori, videndum in cuius bonis sit. SECT. II. verò distinximus inter ipsum debitum, seu causam & cautionem correalem. Hinc si debitum hoc in bonis hæredis fuerit, & non nuda cautio, hoc quoque potest imputari in falcidiam *l. 62. ad L. F.* sed si saltem persona fuerit cautioni exempta, hoc nec in ære alieno ponî, nec in falcidiam imputari potest. Si verò societas inter correos est, tunc ex æquo dividenda est obligatio & pro parte in utriusque bonis est. Adeoque eadem obtinent, quæ supra de debito principali diximus *d. l. 62. ad L. F.*

## §. 15.

**H**oc verò debitum confusum adhuc tam efficax est, ut pignus, quod pro eo obligatum, teneat, & sustineatur *l. 59. ad SC. Trebell. l. 30. d. Except. rei jud.* Licet enim debitum peti non possit, adeoque civilis actio sit perempta, tamen naturale subest adhuc debitum, quod sufficit ad sustinendum pignus. Casus *l. 59. ad SC. Trebell.* hic est. Debitor sub pigno-

pignore scripsit creditorem hæredem, eumque rogavit, ut hæreditatem tertio restituere; coactus adiit, restituit. Desiderabat jure dominii pignus possidere, cum emtorem pignoris non inveniret. Quæstio fuit, an non pignus sit sublatum per confusum nem debiti. Sed R<sup>g</sup> JCtus non esse satisfactum, adeoque subesse adhuc naturale debitum, etsi confusum. Hinc si possidet eam rem creditor, nullam actionem fideicommissarius habebit; non pignoratitiam, quoniam est actio hæreditaria, sc. persecutio fideicommissi, ut si petendum esset, hâc, non pignoratitiâ peti deberet. Pignoratitia enim competit creditori, at hic non fuit defunctus, sed hæres; contraria verò pignoratitia quidem datur debitori, sed soluto debito. Non igitur opus est cum Cujacio non addere libr. 7. ad African. Neque pignoratitia, quia non est hæreditaria. Sed sensus est, non dari pignoratitiam, quia quicquid fideicommissarius petere potest, id ex causa fideicommissi petendum. Nechæres fideicommissarius eam rem petet, quasi minus restitue-

I rit,

rit, quod potuisset, si res pignori non eslet obligata. Non enim possidet eam rem, ut hæres, sed quasi creditor. Hinc & serviana aetio tenebit & hæres fiduciarius petitionem, retentione, m pignoris nomine habebit.

§. 16-

**A**T huic decisioni J Cti varia obstant dubia: 1. quod interim substantia pignoris sublata scil. securitas debiti nostri, si ne qua non videtur posse consistere 2. quomodo interim acquisito dominio res nostra nobis securitati esse potest? Idem ergo dicendum eslet, quod in appromissione debiti alieni. Sed & Pignus non solùm contineat securitatem debiti nostri, sed etiam sub pignore debiti nostri persecutionem. Est enim res pignori obligata ex eo patrimonio, ex quo nobis satisfieri debet *l. 8. d. distract. pign.* adeoque maxima est differentia inter appromissionem debiti alieni & pignus. Non ergo sola substantia pignoris consistit in securitate, sed in debiti nostri persecutione. 2. confusio saltem impedit exactionem, sed non tollit jus, quod in  
re

re nobis est quæsitum. Appromissiones autem consistunt in sola personæ obligatione, quæ, si semel in pugnam incidunt, non in bonis durant, quia non sunt bonis; non in personis, quia hæ non sunt, sed in illis est impedimentum; uti id SECT. I. satis extricavimus. 3. Dominium hoc, quod interim hæres consequitur, est mere civile, non naturale, adeoque hæres vere Dominus non est, sed saltem fictione. Ut enim totum hoc jus successionis fictionibus constat, ita quoque hoc dominium. Sufficit ergo ad sustinendum pignus, non esse satisfactum.

## SECTIO IV.

1. *Strictum jus soepè iniquum. Id remediis æquitatis corrigitur.*
2. *Hinc beneficium separationis.*
3. *Quænam confusio actionum impediatur.*
4. *Pinguis beneficium inventarii.*
5. *Non impeditur confusio actionum, quas defunctus habuit contra hæredem.*
6. *Iniquitas corrigitur.*
7. *Conclusio.*

I 2

Cer-

## §. 1.

**C**ertis primū regulis à prudentibus Romanis constitutis, ex quibus jus deduceretur, non potuit non contingere, quia propter varias negotiorum circumstan- tias jus strictissimum, quod primis illis conclusionibus inhaereret, iniustitate laboraret. Non enim poterat tam certis præceptis circumscribi tam vastum & diffusum opus, adeo mutantibus rebus humanis. Hoc ergo variis æquitatis remediis supplere sunt anni, tum JCti benigna LL. in terpretatione, tum Prætor, qui boni & æqui fuit arbiter, tum Imperatores sanctissimi, qui certatum juris civilis rigorem variis beneficiis leniverunt.

## §. 2.

**H**inc cùm facta confusione patrimoniorum hæreditas seu patrimonium defuncti siebat non solvendo, & ita creditores hæreditatis per confusione patrimoniorum creditoribus hæredis permiscerentur, illis à Prætore datum est beneficium separationis l. i. d. separat. Petunt autem creditores defuncti, ut bona defuncti separatim vendantur, ne commixtis bonis hæredis patrimonium defuncti desinat esse solvendo l. i. §. i. d. separat: Non verò datur hoc beneficium creditoribus hæredis, nisi extra ordinem iis prætor propter fraudem hæredis succurrat l. i. §. 2. & 3. d. separat: In casu l. i. §. 6. d. separat: ipsi quoque hæredi quasi separatio conceditur. Datur autem primi hæredis creditoribus, ad versus omnes tam secundi, quam tertii hæredis creditores, nō secundi aduersus primi, sed tertii, tertii nec aduersus primi nec aduersus secundi l. i. §. 8. d. separat. E. g. Titius scripsit

Mevi-

Mevium hæredem, & is Cajum, & Caius Paulum. Titii creditores possunt separationem impetrare & adversus Mevium & adversus Cajum, non verò Caji creditores & adversus Mevii creditores. Ratio est, quia Titii creditoribus saltem in iis bonis jus quæsitum est, non verò Caji, his ergo saltem in his bonis Prætor succurrit.

## §. 3:

**H**oc beneficio impetrato confusio earum obligatorum impeditur, quas creditor habuit contra defunctum l. 3, d. separat. non verò earum, quas defunctus habuit contra hæredem, vel hæres contra defunctum. Hinc si debitor fidejussori extiteret hæres, ejusque bona venierunt, quamvis propter juris rationem fidejussio sit extincta, tamen separatio impetrabitur. Hinc fidejussoris bonis separatis creditori primum satisficeri debet; si verò in solidum ex hæreditate suum debitum consequi non possit, creditoribus hæredis nihilominus permisceri potest l. 3. pr. & §. 1. d. separat. Actiones verò, quas defunctus habuit contra hæredem, vel hæres contra defunctum, nihilominus confusas manere existimo. Primò enim, quod hæredi defunctus debuit, hoc hæres petere non potest, quia ratione ejus non fit separatio, cum sit saltem beneficium creditorum hæreditatis arg l. 1. d. separat. Nec quod defuncto hæres debuit, peti potest à creditoribus hæreditariis, quia semel personam hæredis aspernati sunt arg l. 5, d. separat. Quomodo igitur creditoribus hæreditariis contra hæredem actio dabatur, qui semel in eo se fundarunt, hæredem futurum non solvendo. Existimarem tamen, dimissis creditoribus hæredis, quoq; in tantū dari regressū in bona hæredis creditorib<sup>2</sup>

hæ-

hæreditariis, in quantum defuncto debuit hæres *arg. l. s. d.*  
*separat.* Hoc enim quodammodo est hæreditarium, quod  
 defuncto debet hæres, sed separari non potest, quia credito-  
 ribus hæredis quæsitum quoque jus est in bonis hæredis,  
 quibus præjudicium fieri non debet. Videtur autem  
*artropia* in *l. 3. §. f. d. separat.* & *l. 5. l. eod.* Papinianus  
*d. l. 3.* quemvis creditorem putat admitti in bona hæredis,  
 creditoribus propriis hæredis dimissis. Sed Paulus hoc  
 tantum verum esse existimat, si ratione hæreditatis postea  
 hæres aliquid acquisivit. Verum non dissentit Papinianus  
 à Paulo, sed saltem indistinctè proponit casum. Prius vero  
 membrum *d. §. f.* indecum relinquit. Hoc paret ex illis  
 verbis: *sine dubio*: nempe prius membrum se non in totum  
 probare, quod postea Paulus evidentius proponit sub distin-  
 ctione. Hoc beneficium datur creditoribus intra quin-  
 quennium *l. 1. §. 13. d. separat.* 2. Si creditor hæreditatis fi-  
 dem hæredis quo vis animo sit fecutus, separationis benefi-  
 cium cessat *l. 1. §. 15. l. f. eod*: sibi enim imputet, qui benefi-  
 cio juris non est usus. 3. Si bona ita sint confusa, ut eorum  
 sit impossibilis separatio *l. 1. §. 12. l. 2. eod*: Unitis enim &  
 commixtis ita bonis separatio amplius per naturam fieri  
 non potest. Prædia tamen & mancipia ita non confun-  
 duntur, quin separatim in patrimonio non existant.

## §. 4.

Pinguus beneficium indulxit imperator Justinianus  
*l. ult. §. 9. d. Iure delib:* quo satis hæredi prospectum.  
 Iniquum enim erat hæredem alienis oneribus & ære obrui,  
 hoc ergo beneficio inventarii correctum, quo si usus fuerit  
 hæres 1. non tenetur ultra vires hæreditarias; 2. confusio  
 actionum, quas habuit hæres contra defunctum, impeditur  
*d. l.*

d. l. f. §. 13. Forma conficiendi inventarii descripta est in  
c. l. g. C. d, jure delib.

### §. 5.

**Q**Uæstio autem agitata valdè est, an confusio actionum per beneficium inventarii impediatur, quas defunctus habuit contra hæredem, an verò illæ maneant salvæ. Mihi verior videtur sententia eorum, qui putant eas actiones nihilominus confundi 1. arg. l. f. §. 9. C. d. jure delib. ubi tantùm mentio fit earum actionum, quas habuit hæres contra defunctum, non verò earum, quas defunctus contra hæredem 2. Beneficium est hæredis, quod in odium ejus non est detorquendum ex natura beneficij. 3. Nemo est, qui petere possit. Non enim creditores hæreditarii habent actionem, quâ petere hoc debitum possint, nec sunt successores, utilest hæres fideicommissarius. Hæc quoque sententia in praxi recepta est, à qua tamen Scabini Lipsenses discesserunt.

### §. 6.

**V**Erùmvalde videtur mihi hæc sententia in praxi recepta iniqua. 1. Quia beneficia juris non sunt in cuiusquam injuriam interpretanda. Hic verò creditoribus hæreditariis, quibus jus quæsitum est in bonis defuncti, videtur injuria inferri 2. Cur legatarii essent melioris conditionis, quam creditores, quorum tamen conditio multo favorabilior; Id autem quod hæres defuncto debet, computatur hæredi in falcidiam. Hinc existimō, non quidem actionum harum confusionem impediri, sed tamen augere hoc debitum confusum hæreditatem & ita si creditor agat contra hæredem, & ille excipiat, nihil amplius esse in hæreditate

¶

ditate, cum exceptione dolii repellendum, ut adhuc tantum  
præstet, quantum hæreditati debeat. Diversa enim quæstio  
est, an actio confundatur, quod affirmamus; alia verò quæ-  
stio, an non locupletiorem hæreditatem videatur percepsisse.  
Sed cùm altera illa sententia in praxi recepta, uti testatur  
JCtus accuratissimus Dn. Lautherbachius in Disp. d. be-  
nef. inventar. vereor, ut in foro obtineamus.

## §. 7.

**S**ed hæc. L.B. sufficient, in quibus si forte defeci, non enim  
hominem me esse nego, id æqui bonique consulas: si ve-  
rò non in omnibus à scopo aberravi, Deo T. O. M. gratias  
ago, cuius auxilio hucusque salvus & in columnis literis ope-  
ram dare potui. Scio quidem, multos fore, qui id ægre fe-  
rent, me non elegisse materiam magis practicam, quam  
minore cum molestia elaborassim. Verùm, cùm hacte-  
nus theoriæ operam dederim, me hanc partem aliquid  
meditatum fuisse, non iniquè, ut spero, quisquam est inter-  
pretatus.

## F I N I S.

## CORROLARIUM.

*Majestas penes duos potest esse in solidum.*

## E R R A T A.

P. 24 lin. ult. pro gitur, lege igitur p. 30. lin. 7. pro velut lege vel, ut  
p. 32 lin. 7. pro Solidum lege solidum. p. 36. §. 16. l. 5. pro debetis leg.  
debet, is. p. 40. l. 2. pro qui satis accipiat, lege pro quo satis accipiatur,  
p. 41. lin. 12. §. ult. omissus. p. 43. pro æqua lege æquè. p. 45. l. 6.  
pro principalis lege principali alias totus sensus subvertetur. p. 47. l. 1.  
pro interessit, lege intercessit.

*Quæ cætera sunt errata propter festinationem corrigere non li-  
cuit, quæ L. B. pro sua humanitate ipse corrigeret.*